

esse dixerit. is enim introducta minima maxima res mathematicorum commouebit. Id causæ est, quòd principij maior vis est, quàm magnitudo. Itaque quod initio exiguum est, tandem est quàm maximum. Quod autem infinitum est, id & initij vim habet, & magnitudinis maximam. Ita nihil alienum est neque absurdum, magnopere interesse, an hoc sumatur, aliquod esse infinitum corpus, & immensum. Itaque de eo nobis altius ab initio repetentibus dicendum est. Necessè est quidem omne corpus, aut simplex esse, aut ex multis naturis concretum. Ita etiam infinitum aut simplex, aut concretum erit. Hoc etiam perspicuum est, si simplicia corpora finita sint, necessariò etiam id quod iunctum sit ex pluribus naturis definitum esse. Quod enim ex finitis & multitudine & magnitudine conflatum est, id & multitudine finita est, & magnitudine. Tam enim magnum & multum erit, quàm ex multis & magnis iunctum est. Restat igitur vt videamus, vtrum aliquod simplex corpus immensum interminatùmque esse possit, an hoc fieri nequeat. De cæteris autem ita videbimus, si antè de primo corpore tractationem instituerimus. Ac omne quidem corpus quod circum medium torqueatur, finitum esse, ex his perspicui potest. Si enim infinitum sit corpus quod in orbem incitatur, infinite erunt eæ lineæ, quæ à medio ducentur. At earum quæ infinite sunt, immensum interuallum est. Linearum autem interuallum id dico, extra quod nulla magnitudo quæ lineas contingat, sumi & notari potest. Hoc igitur infinitum sit necesse est: quandoquidem earum quæ finite sunt, finitum semper est interuallum. præterea eò quòd datum est, semper maius notari licet. Ita quemadmodum numerum dicimus infinitum, quòd non est, nec datur maximus, sic etiam interuallum. Quòd si id quod infinitum est, transiliri nõ potest, & posita infinitate corporis interuallum infinitum necesse est esse, certè moueri in orbem corpus illud non posset. At cælum in orbem ferri cernimus, & ratione docuimus alicuius esse conuersionem. præterea si à finito certoque tempore certum quoddam ac finitum abstuleris, reliquum & finitum sit, & principium habeat necesse est. Si verò tempus ingressus principium habet, est etiam principium motionis: quare & eius magnitudinis, quam ingrediendo peragravit. Quod fit etiam in aliis eodem modo. Sit ergo
lineam